



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

SS. Innocentes Martyres. 28. Decembr.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

SS. INNOCENTES MARTYRES.

28. Decembr.

*Herodes mittens occidit omnes pue-
ros, qui erant in Bethleem, &
in omnibus finibus ejus, à bima-
tu & infra. Matth. 2.*

Mala omnia nunciabat Herodi nuncius
à Magis allatus. Quid? mea demum
corona erit, quæ duos Reges ferat? aut Re-
gni mei alienum hæredem vivi spectabunt
liberi? vivus ego? quin caput illi nunc au-
fero, ne ille diadema mihi? purpuram si am-
bit, domi habet; suo pingat de sanguine. At
ne novi quidem hostem meum. Hoc plus e-
tiam metuo. Certè infans est. Pereat hic
omnis in Regno, ut unus ille pereat. Etiam
innocens? jam nocens est, qui hostis est.
Sed qui hostis? quia ego hunc timeo, Sed
tyrannum dicent. Nimirum vetus hoc Re-
gis nomen est. I. miles, omnes bimulorum
cunas evertet; balneum his para cruentum,
sed dignum hoste. Hæc ille; cùm interea An-
gelus

gelus Parvulum Regem, Magnumque exu-
 lem in Ægyptum, gloriosâ fugâ, deducit.
 Sæviit nihilominus barbarus mucro. Ubique
 clades & funera. Vidiffes majora vulnera,
 quam corpora, plus lactis fundi quàm san-
 guinis; hunc saxo, illum capulo frangi; hunc
 è gladio, illum ab hasta pendere, multis teli
 vicem militis vultum esse. Dedit tamen pœ-
 nas Tyrannus: morborum enim omnium
 theatrum factus, eodem anno, cum tot ho-
 micidia parricidió insuper maximi natu filii
 cumulasset, vitâ regnoque excidit periitque.
 At prætextata illa turba cælo scilicet vivit, ri-
 detque etiamnum tyrannum, quòd talis In-
 fantes timuerit. *Ex Bar. & Saliانو.*

MEDITATIO.

De Festo SS. Innocentium.

I. **H**I pueri nondum nôrunt Christum, pro Chri-
 sto tamen sanguinem fundunt. A tanto tem-
 pore Deum nôsti, utpote, qui innumeris beneficiis
 te ornârit, quid piger es ejus in obsequio? horum
 puerorum exemplo, ætatis tuæ florem, & annorum
 primitias consecra Domino tuo, *Quam beata ætas?*

D d 4

necdum

necdum Christum potest eloqui, & jam pro Christo meretur
interfici? Euf. Emiff.

2. Hi primogenii Martyres non loquendo, sed mori-
riendo confessi sunt. Expedit ad Dei gloriam, ut pa-
ttaris silentio, dum calumniis, dum persecutionibus
vexaris, file, & patere. Coram Deo muta patientia
eloquentissimum testimonium est virtutis. Non ver-
bis, sed factis probatur fidelitas servi, Frustra dicis:
tuus sum Domine, nisi passus fueris & laboraveris in gra-
tiam Domini tui.

3. Si cœlum cogitas, habeas, oportet, horum pue-
rorum innocentiam. Quod si candidam baptismi ve-
stem fœdâris, elue maculas ejus aquis pœnitentiæ. O-
culi mei! nunc largos fletus fundite, quibus inferni &
purgatorii ignes extinguantur, & abluantur peccata
mea. *Nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum.* O
te beatum, si, ut illi parvuli, Martyrii palmâ donare-
ris! *Ætas necdum habilis ad pugnam, idonea extitit ad co-
ronam.* Cypr.

S. THOMAS ARCHI-
EPISCOPVS.

29. Decembr.

*Qui servat mandata ejus, in illo
manet,*